AUGUSTINUS
Admont, 12. Jh. Seite 4r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Proinde quisquis hec legit. ubi parit certus est pergat mecum. ubi parit hesitat querat mecum. ubi errorem suum cognoscit redeat ad me. ubi meum. reuocet me. Ita ingrediamur simul caritatis uiam. tendentes ad eum de quo dictum est querite faciem eius semper. Et hoc placitum pium atque tutum coram domino deo nostro cum omnibus interim qui ea que scribo legunt. et in omnibus scriptis meis maximeque in his ubi queritur unitas trinitatis patris et filii et spiritus sancti. quia neque periculosius alicubi erratur. nec laboriosius aliquid queritur. nec fructuosius aliquid inuenitur. Quisquis ergo cum legit dicit non bene hoc dictum est quomodo non intelligo. locutionem meam reprehendit non fidem. Et forte uere potuit dici planius. uerum tamen nullus hominum ita locutus est ut in omnibus ab omnibus intelligeretur. Videat ergo cui hoc in sermone meo displicet utrum alios in talibus rebus questionibusque uersatos cum intelligat me non intelligat. et si ita est ponat librum meum uel etiam si hoc uidetur abiciat. et eis potius quos intelligit operam et tempus impendat. Non tamen propterea putet me tacere debuisse quia non tam expedite ac dilucide quam illi quos intelligo eloqui potui. Neque enim omnia que ab omnibus conscribuntur in omnium manus ueniunt. Et fieri potest ut non nulli qui etiam hec nostra intelligere ualent illos planiores non inueniant libros et in istos saltem incidant. idoque utile est plures a pluribus fieri libris diuerso stilo non diuersa fide etiam de questionibus eisdem ut ad plurimos res ipsa perueniat. ad alios sic ad alios autem sic. At si ille qui se ista non intellexisse conqueritur. nulla umquam de talibus rebus diligenter et acute disputata intellegere potuit. secum agat uotis et studiis ut proficiat non mecum querelis et conuiciis ut taceam arguat. Quomodo hec legens dicit intelligo quidem quid dictum sit. sed non uere dictum est asserat ut placet sententiam suam et redarguat meam si potest. Quod si cum caritate et ueritate fecerit. mihique etiam si in hac uita maneo cognoscendum facere curauerit. uberrimum fructum laboris huius mei cepero. Quod si mihi non potuerit quibus id potuerit me uolente ac libente prestiterit. ego tamen in lege domini meditor: si non die ac nocte saltem quibus temporum particulis possum

De diuerso iudicio legentium. et capacitate dissimili.